meum. Noctem uerterunt in diem. et rur-
sum post tenebras spero lucem. Si susti-
nuero. infernus domus mea est. et in tene-
bris straui lectulum meum. Putredini dixi.
Pater meus es. mater mea. et soror mea uer-
mibus. Ubi est ergo nunc prestolatio mea. et
patientiam meam quis considerat. In profun-
dissimum infernum descendent omnia mea.
Putasne saltem ibi erit requies michi.
XVIII Respondens autem baldad suites dixit.
Usque ad quem finem uerba iactabitis. intel-
ligite prius et sic loquamur. Quare reputa-
ti sumus ut iumenta. et sorduimus coram
uobis. Qui perdis animam tuam in furo-
re tuo. numquid propter te derelinquetur terra.
et transferentur rupes de loco suo. Nonne
lux impii extinguetur. nec splendebit flam-
ma ignis eius. Lux obtenebrescet in tab-
naculo illius. et lucerna que super eum est
extinguetur. Artabuntur gressus uirtutis
eius. et precipitabit eum consilium suum.
Inmisit enim in rete pedes suos. et in ma-
culis eius ambulat. Tenebitur planta illi-
us laqueo. et exardescet contra eum sitis. Abs-
condita est in terra pedica eius. et decipula illius
super semitam. Undique terrebunt eum for-
midines. et inuoluent pedes eius. Atte-
nuetur fame robur eius. et inedia inua-
dat costas illius. Deuoret pulchritudinem
cutis eius. consumat brachia illius primo-
genita mors. Auellatur de tabernaculo suo
fiducia eius. et calcet super eum quasi rex
interitus. Habitent in tabernaculo illius socii
eius qui non est. aspergatur in habitaculo
eius sulphur. Deorsum radices eius siccen-
tur. sursum autem atteratur messis eius.
Memoria illius pereat de terra. et non cele-
bretur nomen eius in plateis. Expellet
eum de luce in tenebras. et de orbe transfe-
ret eum. Non erit semen eius neque progenies

in populo suo. nec ulle reliquie in regio-
nibus eius. In die eius stupebunt nouissimi.
et primos inuadet horror. Hec sunt ergo
tabernacula iniqui. et iste locus eius qui
ignorat deum. Respondens autem iob. XIX
dixit. Usquequo affligitis animam meam.
et atteritis me sermonibus. En decies confu-
ditis me. et non erubescitis opprimentes me.
Nempe et si ignoraui. mecum erit ignoran-
tia mea. At uos contra me erigimini. et argu-
itis me opprobriis meis. Saltem nunc intel-
ligite quia deus non equo iudicio afflixerit
me. et flagellis suis me cinxerit. Ecce clama-
bo uim patiens. et nemo audiet. uocifera-
bor et non est qui iudicet. Semitam meam
circumsepsit. et transire non possum. et in
calle meo tenebras posuit. Spoliauit me
gloria mea. et abstulit coronam de capite meo.
Destruxit me undique et pereo. et quasi euulse
arboris abstulit spem meam. Iratus est contra
me furor eius. et sic me habuit quasi hostem
suum. Simul uenerunt latrones eius. et
fecerunt sibi uiam per me. et obsederunt in
giro tabernaculum meum. Fratres meos longe fecit
a me. et noti mei quasi alieni recesserunt a
me. Dereliquerunt me propinqui mei. et qui
me nouerant obliti sunt mei. Inquilini domus
mee et ancille mee. sicut alienum habuerunt
me. et quasi peregrinus fui in oculis eorum.
Seruum meum uocaui et non respondit michi.
ore proprio deprecabar illum. Halitum meum
exhorruit uxor mea. et orabam filios uteri
mei. Stulti quoque despiciebant me. et
cum ab eis recessissem. detrahebant michi.
Abhominati sunt quondam consiliarii mei.
et quem maxime diligebam auersatus est me.
Pelli mee consumptis carnibus adhesit os
meum. et derelicta sunt tantummodo labia mea cir-
ca dentes meos. Miseremini mei misere-
mini mei saltem uos amici mei. quia manus

License: public_domain – Leuven, Archief van de Abdij van Park, VIIIB20/92, Fol. [2]v – Bible (https://fragmentarium.ms/view/page/F-5t0u/6725/56551)